

ORATIO

IN ANGELUM ANTONIUM SCOTTUM

ARCHIEPISCOPVM THESSALONICENSEM

HABITA INEVNTE ANNO SCHOLASTICO MDCCCXLVI

IN COLL. NEAP. SOC. IESV

A CHRISTOPHORO COPPOLA

IN EODEM COLLEGIO RHETORICES PROFESSORE

Accedunt aliquot Carmina in obitu eiusdem exarata.





NEAPOLI
APVD RAPHAËLEM TRAMATER
1846.

LECTORI

Adolescentibus qui ad me deducerentur, quo Rhetoricam discerent, meas curas deberi tantum existimavi, quod hae partes mihi a Societatis magistris datae fuerant. Quare vocem meam intra ludi parietes continui; neque ad alios ea quae dicerem, ac scriberem permeare patiebar. Verum hi ipsi, quibus loquebar ac scribebam, quod aliquid iis inesse existimabant, quod aliis etiam prodesse posset, ut ea in adspectum proferrem, precari quotidie, ac etiam flagitare non desistebant. Quibus ego ea respondere solebam, quae omnes, qui quantum valeant sentiant, passim praeseferunt; me aetati sane cultissimae sa-

tisfacere non posse, ac alios esse, quorum studio ac laboribus illustrari litterae possint, ac communis patriae decus augeri. Verum perseverantiam hanc meam vicit tandem officium ac pietas, qua negari a me non posse intellexi vocem meam illius memoriae conservandae ac propagandae, cuius studio me non semel, Societatem autem meam saepe ornatam sciebam. Ergo oratiunculam, qua laudes Angeli Antonii Scotti prosequutus sum, aliis legendam trado, quam si mei aequo animo accipient, spero fore, ut alia, quae antea a me scripta adhuc premuntur, diutius non desiderentur.

Cum multa sint quae ad adolescentium studia inflammanda in publicis gymnasiis constituta sunt, tum illud non minimo in loco ponendum iudico, ut virorum, qui litterarum gloria maxime floruerint statuis atque imaginibus aedes illae sanctissimae ornarentur. Quantum enim ad animos excitandos illae valeant, ac quanta illo conspectu studiis alacritas accedat, ii profecto intelligunt, quibus cum exploratae sunt omnium temporum historiae, his saepe ad ardua ac magna in omni re capessenda excitatos homines meminerint. Quod facile mihi esset ostendere, si ea tantum repetere vellem, quae in plerisque ex Atheniensibus imperatoribus facta sunt; quos scimus ad bella atque armorum labores saepe arrectos fuisse, quod in magnorum ducum monumenta incidissent quae contemplarentur. Ergo eorum studia maxime laudanda, qui id egerunt, ut quos vivos ac florentes gloria viros coram cernere nepotes non possent, aliqua tamen ratione coloribus aut saxo expressos ipsis obiicerent, quo et socordiam, si qua forte tenerentur, excuterent, atque ad labores ac studia incenderentur. Verum licet nobis, quibus id vel natura vel ratio dedit, ut possimus verbis efficere, quod alii saxis ac coloribus, aliquem virorum illustrium ex inferis

pene excitare, eamque, quantum verbis assequi possumus, effingere, ac in gymnasiis nostris constituere, que illi moveantur, quos ut maxime interest accendere atque excitare, ita non facile verbis ac ratione persuades. Itaque a sapientissimo Mutinensi consilio iampridem constitutum memini, ut cum ineunte anno novum studiis curriculum aperiendum esset, ille cui hae partes mandarentur, omni alia re omissa, aliquem ex illustribus civibus, quos maxime fama celebraret, vita functum a morte pene revocaret, ac verbis expressum simulacrum studiosae inventuti obiiceret. Hanc mihi rationem sequi hoc anno, que octavo ex hoc amplissimo loco dico, visum est. Cum enim id unice in meis orationibus spectassem, ut horum adolescentium animos moverem, quo ea duo, quae maxime a nobis accurantur, inflammato studio persequerentur, ut ad omnem humanitatem ac pietatem simul informarentur, saepe de illa dixi, de hac etiam non semel: verum hoc anno, quoniam et vos etiam aliquid novi expectare puto, aliam rationem sequi statui; ac quod tum verbis efficere conatus sum, nunc vehementius exemplo proposito urgere. Quamvis enim omnibus importune, mihi certe commode evenit ut nobis, ac litteris immatura morte ereptum Angelum Antonium Scotti lugeremus. Illi certe ut nemo fuit, qui vivo honores non haberet, ita vita functo nulla non iusta persoluta. Itaque luctuosissimae illae voces dolore simul ac laude plenae nondum conticuerunt; ac cum multa dicta sint, multa adhuc dicenda superesse videntur; imo et novos oratores quaeri, qui tantam memoriam emori atque aboleri non sinant. Equidem ut arctissimo consuetudinis vinculo clarissimo viro adhaerebam, ita maiorum etiam meorum voluntate excitatus hoc illi officium persolveram. Itaque elucubratiunculam hanc meam et quaesitam, et desideratam etiam scio. Verum ad alia ego illam tempora reservabam. Hunc diem expectavi, ut cum amplissimis

omnium ordinum viris doctissimi oratores satisfecerint, mihi partes reliquerim, ut instituendae iuventuti servirem. Orationem igitur, qui fuerat aliorum annorum mos, a me non expectate: simulacrum quoddam ea quae eloquor esse volui, in quod intueantur potius, quam stupeant adolescentes. Qua igitur via ille ad summos honores contenderit, quos tandem consequutus sit, quis eorum fructus extiterit cum ostendero, spero fore, ut non modo omni nota caream, quod haec iam vulgatissima retractem, verum aliquam a vobis gratiam ineam, quod leni specie obiecta id blande extorqueam, quod nonnisi asperitate ac contentione olim evincebam.

A genere ac domo illis exordiri solemne est, qui in hoc orationum genere versantur. In eo enim maxime exultare videtur oratio, si cui illud genus fuerit, ea familia, cui cum multa homines tribuere solent, magna ut orationi copia, ita rei dignitas accedit. Verum si lignei illi forte fuerint, qui laudandi sunt, num proderit, quod in aurea familia sint nati? aut color erit orationi, si eius, de quo scribitur, virtute non splendet? Liceat igitur mihi haec omittere; non quod illi omnino defuerint, sed quod ea aetate loquimur, qua haec minimi faciunt homines, quibus una sancta virtus, ac id in laude ponendum putant, quod quis bene ac praeclare gesserit, non quod illi a parentibus traditum fuerit.

Adolescentem igitur vobis exhibeo, qualem Neapolis excepit e parva insula Prochyte, veluti aviculam avolantem, quo ex angusto loco ampliorem campum nactus, eo, quo natura ducebatur, citato cursu contenderet. Neque enim aut Pindaro solum, aut Virgilio ac Tullio ex angusto ac ignobili pago ortum ducere contigit; verum id quotidie renovari videmus, ut nescio quo fato summa ingenia infima in statione procreentur, quemadmodum in plantis ac floribus

evenire videmus, ut robustiores ac vividiores saepe inculti agri ac sylvae, quam cultissimum viridarium ferant. Haec tamen iuvat ad ampliores urbes transferri, ubi si natura nonnumquam deficit, ea tamen, per quae illa et reparetur et exornetur, suppetunt abunde; ut qui rudi illa firmitudine tantum in domo sua valuissent, addita principe in urbe cultura longe lateque fulgeant.

Felix Angelus Antonius, cui Neapolim advenienti ea virorum omni optimarum artium genere excellentium copia oblata est, ut cum nihil esset quod ipse ediscere non cuperet, tum omnia paratissima atque expeditissima nancisceretur! Nihil enim ex pristina sua dignitate decesserat; ac splendor ille integer adhuc effulgebat, quem ipsi summorum virorum studia pepererant, quos gravissima illa patrum disciplina ad omnes artes ac studia formaverat. Nondum enim illa, quam certi homines progressum, ego lasciviam appello, animos occupaverat, qua fieri videmus, ut cum vetera spernuntur, quo nova inveniantur, et illa amittantur omnino, et haec depereant: verum illud fixum in omnium animis erat, ingenia, quae nulla alia vi sustinentur, facile ad vulgaria atque adeo abiecta dilabi, nisi nobilitati a maioribus traditae haereant. Ergo graviora litterarum studia a clarissimis viris Mazochio, Maiellio, Aula, Martorellio, et si quid meis etiam tribuere licet, Giannettasio, Ludovico, aliisque non paucis accepta, erecta iuventus et caute custodierat, et aliis custodienda commendabat. Itaque refertissima erat Neapolis viris doctissimis, qui cum diversi diversa profiterentur, singuli tamen in sua facultate excellebant, ut nulla esset ars, nullum studium, in quo aliquem indicare non posses, cui vix parem vel celeberrimae Europae urbes ostenderent.

Quem enim vestrum latent praeclarissima illa nomina Bartholomaeus Malitia, Caietanus Ancora, Dominicus Scottus,

Ioannes de Anna, omnes sive sacrarum sive humanarum litterarum gloria celebratissimi; nec non Nicolaus Valletta, Dominicus Cotumnius, Paganius, Filangerius, aliique quamplurimi, quos supervacaneum est nominare? Ac nos quidem cum ex tanta illa luce emissos radios aliquos colligimus, beatos illos dicere solemus, quibus contigit coram illam videre, si tanta nos voluptate vel procul spectantes perfundimur. Qualem autem Angelum nostrum fuisse credimus, cui cum sua fortuna illam obiecisset, tantus animus fuit, ut non videre modo atque afflari, sed omnino foveri atque incendi vellet?

Iam enim constitutum adolescenti erat, ut sacris initiaretur, atque hanc, qua Domini praelia praeliamur, militiam exerceret. Illud erat iuveni ingenium, quo muneris magnitudinem complecti posset; illa animus, quo nullum laborem refugeret, quo et sustinere, et recte exercere posset. Intellexit hoc veluti bellum, cum unum sit atque ubique idem, non eadem tamen ratione omni loco gerendum; atque aliis armis illi utendum, cui in pago ac parva urbe cum hostibus quamvis durissimis, rudibus tamen atque imperitis pugnandum; alia tractanda in principe urbe, ubi hostes sint instructissimi ac paratissimi; quibuscum raro laterum vi, saepe ingenii acumine, ac omnis doctrinae copia confligendum. Cum igitur omnes amplissimae civitatis partes complexus animo esset, ac quid quaeque laboraret, qua cuique arte succurrendum esset, rimatus fuisset, statuit nihil intentatum in studiis relinquere, quo quidem olim ad omnium hominum culturam uti contingeret, quo non instrueretur. Quamvis igitur ludos litterarios Seminarii, dioecesanum quod aiunt, frequentaret, ac deinde in archiepiscopali gymnasio ad subliminiores disciplinas formaretur, ipse sibi quamplures privatos magistros quaesivit, a quibus id in quo quisque maxime excellebat, acciperet; ut revera api illum comparares, quae

viridarium ingressa, ubi magna sit herbarum ac florum copia, hac illac volando discurrat, ut singulos libet, atque ex omnibus thyma, ac gratissimum illum succum exprimat. An vide solertissimi adolescentis industriam: cum multa hac sua assiduitate ac labore compararet, ea invidiose non retinebat; sed studio quaerebat, quibuscum communicaret; ut quemdam privatum ludum aperiret, ubi omnibus qui vellent, eorum quae labore quaesierat, benigne copiam faceret: quo simul et quae discebat exercitatione confirmabat, et charitati, qua nulli hominum generi utilis olim futurus non esset, proludebat.

Sed strenuissimo militi in arenam, iam posito tirocinio, descendenti, eae statim difficultates obiectae sunt, ut impetum omnem retardavissent, atque alacritatem penitus extinxissent; nisi singularis sua virtus, ac communis nostra fortuna illum expedisset. Tempora enim inciderunt, quae deterioribus ruinae, bonis summae gloriae causa fuerunt. Magnam ego illam rerum conversionem specto, quae nostra hac in regione, ut in tota pene Europa facta est, cum erumpentibus e suis finibus armatis Gallis, ac omnia loca vel vi subigentibus, vel vastatione evertentibus, vel superbo dominatu prementibus, omnia misceri ac collabi visa sunt. Quale tum animorum dissidium fuerit, quae omnium ordinum iactatio, qui errores, quae tenebrae malo vos ex aliorum monumentis ediscere, quam in oratione hac mea videre. Illud dico tantum, magnam tum bonis concertationem obiectam, quas partes sequerentur, cui se ex potentissimis regibus de dominatione contendentibus darent; fortunam ne eiecti Ferdinandi sequerentur, an victorum Gallorum fato cederent. Totum procerum vulgus in contraria studia scissum est, cum hi obfirmato animo regem ad Siciliam contendentem sequuti sint; hi vero domi substiterint, melius rati patriam, ac fortunas turpi victorum amicitia retinere, quam incerto

fato cum tanta bonorum iactura, ac vitae periculo se committere. Itaque ancipiti omnes calamitate premebantur; ut aut rerum, aut honoris iacturam facerent; neque uno se expedire possent, quin in aliud inciderent. Nonnullis tamen utramque sartam tectamque facere facile fuit; illique fuerunt, qui cum uni se Christo ac religioni dedant, in qua omnia sua posita esse existimant, nihil se amittere arbitrantur, cum eam retinent. His Neapoli tum subsistentibus ea denique gloria merito contigit, quam Horatius Graecorum a Romanis subactorum fuisse cecinit, ut capti suos victores caperent; iniecto enim ferocissimis bellatoribus litterarum, quibus unice pollebant, studio, eos sibi subiecerunt; ut brevi discipulos obsequentissimos haberent, quos modo armis imminentes pertimuerant. Excitentur nunc, excitentur ex inferis summi illi viri Rosinius, Andresius, Calà, Rossius, aliique quamplurimi, qui hoc consilium sequuti sunt, ut cum nunnisi Christum ac religionem prae se ferrent, communi tantum paci ac animorum saluti studere se profiterentur; ac dicant, quantae ipsis vel voluptati vel gloriae ille dies fuit, cum mutata rerum fortuna reduci Ferdinando integra, ac incolumia haec restituerunt, quibus et si quid labis respublica accepisset, repararetur, et reliqua, quae adhuc desiderari videbantur, ingenio suo nepotes adiicerent. Hi igitur cum religioni addictissimi erant, tum omnium studiorum laude florentissimi. Gallis autem, ut omnia reliqua abindicantur, ea tamen laus tribuenda est, eos ut erecto animo erant, ac recenti armorum fortuna elati, ita bonis artibus, atque iis, qui colebant, honores habuisse. Ergo non ut immanes illi e Getarum genere, aut Longobardorum sanguine praedones rapinae aut auro unice intenti, reliqua quae essent in artibus ac humanitate everterunt, eruditionem ac bonas disciplinas hi nostri victores spreverunt: sed eam sibi laudem maxime esse voluerunt, ut sua victoria ac fortuna suble-

vata studia atque artes provectae dicerentur. Hinc factum est, ut ad suam amicitiam aditum amplissimum iis patefactum vellent, quos scirent litteris ac humanitate maxime florere. Ergo et Andresio, et Rosinio, aliisque quos nominavi, non modo copia suae gratiae facta, sed omnino totius rei litterariae arbitrium commissum. Ita contigit, ut religioni, ac sacris non libertas modo, sed honor etiam esset, si tam facile illis, qui iis addicti erant, victores se committerent.

His interea iam se probaverat Angelus Antonius: studia alia hoc, alia illud tempus requirit; tum locis etiam variata, ac personis distincta. Neapoli cum multi sint loci hominibus propositi, quos capiant, quibus res publica sit capessenda, hinc ad varia studia se vertunt, quo quemque vel ingenium ferat, vel tempora vocent, vel voluntas impellat. Plerumque vero iis, quibus non sit forum attingendum, aut aliqua alia ars profitenda, ea frequentata studia, in quibus plus patientiae sit ac morae; quaeque aestu, atque animorum agitatione non indigent. His pacata illa, ac dignitate plena studia maxime proposita, quae eruditione continentur. Ergo hic est plerumque primus aditus iis, qui procul a foro, aut civili aliqua procuratione aliquod sibi nomen ac honorem petunt, ut antiquitatem aliquam explicent: quod cum fieri non possit sine multarum rerum cognitione, non mediocris ingenii indicium est, ac studii argumentum, si quis possit aliquid ex antiquitatis ruderibus effossum illustrare. Huic studio maxime se dederat Antonius; in quo praeter reliqua memoria iuvabatur, quae illi non tenax minus, quam vasta contigerat. Hic illi aditus ad summos honores primus fuit. Edita enim interpretatione cuiusdam e remotissima antiquitate vasis, se non fucata ac levi, sed solida ac robusta eruditione instructum ostenderat: quare facile fuit, ut et gratiae illius pars illi cederet, atque aditus solertissimo iuveni, ac omni doctri-

narum laude iam florentissimo ut ad litterarios labores, ita et ad litteratorum honores facilis pateret.

Nec facile dixerim, cui magis arriserit fortuna, Neapoli ne, quae tantum ingenium nacta est, an Antonio, cui celeberrima totius Europae urbs contigerit. Ingeniis abundans ubique natura: neque enim existimandum benignam illam erga hanc regionem optimos fingere homines, aversam autem alio in loco hebetes ac rudes; sed si hic omnia litterarum luce fulgere vides, illic autem tenebris ac barbarie oppleri ac squallere, id non naturae vitio, sed hominum studio fieri in comperto est. Primum enim laxanda ingeniis spatia, ubi se exerceant, postquam litteris atque eruditione instructa sint. Pauca enim admodum ex puerili disciplina colligere licet, quae postea nisi usu atque exercitatione confirmentur, statim elabi ac omnino effluere necesse est. Homini autem natura desidi ac remisso nisi spem aliquam quasi facem ostenderis, ac curriculum, quo incedat, patefeceris, nulla est tanta nec naturae vis, nec animi ardor, nec vehemens studium, quod hos labores persuadeat; in quibus, si qua inest voluptas ac laus, magno certe incommodo non carent, quod aut fastidio aegrescit animus, aut atteruntur mora ac continuatione vires. Neapoli id prae reliquis urbibus contigit, ut cum omni litterarum copia ac eruditionis genere abundet, qua succrescentia ingenia instruat, tum quamplurima, easque amplissima curricula aperiat, quae illi occupent, quibus id a natura datum est, ut quae exquisita sunt in omni disciplina, animo complectantur. Hinc illa incredibilis omnis eruditionis ac doctrinarum copia, qua acceptum a maioribus decus tuemur atque augemus. Tormentum enim illud est, quod ingeniis admovetur; cum stare ac quiescere illi non liceat, qui quotidie de iis commentari cogitur, quae aliis explicanda sunt. Ergo ultro assurgit animus, ac ad penitiora semper atque ir-

reperta illo conatu an vi progreditur. Regium archigymnasium in primis commemorandum, quod a saeculo decimoquarto primum institutum, sed temporum iniuria obsoletum ac pene emortuum Ferdinandus huius nostri felicissimi avus non instauravit modo, sed additis quamplurimis optimarum artium studiis, omnino auxit atque amplificavit. Tum celeberrima illa academia commemoranda, quae cum una sit in tres veluti familias dispertita est, quarum altera naturam explicaret, altera artes ac litteras expoliret, tertia denique eruta ex herculaneo busto, aut ex Pompeiorum ruinis monumenta interpretaretur. Accedat regium museum, ac bibliotheca totius Europae celeberrima, ubi praeter caetera eruditorum virorum sibi curas vindicat difficila illud sane opus, quo effossae ex herculaneis ruinis papyri evolvuntur, an integritati redduntur. Addat nunc qui vult collegia instituta, academias, ludos; mihi satis sit dicere, nihil reliqui a nostris Principibus factum, quo suorum ingenia informari, atque exerceri possent. Haec omnia occupavit noster Angelus, ut nullus locus reliquus fuerit, qui quidem sit eruditissimo homine dignus, quem ille non attigerit. Cum enim unus esset, multorum eruditione pollebat, ut uno ingenio, una mente posset multa simul complecti. Ergo locus ipsi in regio archigymnasio datus est, ubi veterum codicum interpretandorum artem profiteretur, tum socium sibi herculanenses academici asciverunt, et difficillimo illi ambustarum papyrorum evolvendarum operi addictus est; regiae denique bibliothecae cura concredita, atque academiae nuperrime institutae sacris rebus agitandis adscriptus. Quanta autem cum publica utilitate haec obtinuerit, testes appello elucubrationes cum multitudine innumeras, tum varietate ac doctrina omnibus vel eruditissimis probatissimas, quas recenserem, nisi me maiora vocarent, quibus cum haec, quae dixi, comparantur, nulla omnino esse deprehenduntur.

Nam hi primi aditus honorum egregio viro fuerunt. Maiores iamdiu ei destinabantur. Compositis enim rebus, ac Borbouiis Neapoli restitutis doctor quaerebatur, cui informandi regii pueri committerentur. Salus enim, ac fortuna totius regni agebatur, quod ille in primis instituendus, qui primo a Francisco Ferdinaudi filio ex egregia uxore Elisabetha susceptus, pro eo olim res sane amplissimas moderaturus erat. Gradus is ille erat, cui cum vix aliquis par inveniatur, innumeri sunt, qui inhiant. Quis enim nescit, quantas virtutes in illo esse necesse sit, cui tanta res committatur? Doctrina enim insigni primum opus est, quo non vulgaria edoceatur, qui sorte omnium princeps factus est. Deinde prudentia non mediocri, qua ita principum animos pertractet, ut eum demisse magistro aures dedant, demissione ac labore non asperentur; sed in primis innocentia atque abstinentia pene divina praestanda, quo honore illo ac dignitate non insolescat, tum continentiam ac gravitatem inter aulae illecebras, atque omnium cupiditatum irritamenta retineat. Verum ea vita Angelus Antonius florebat, ut difficilis electio non fuerit. Vigebat aetate, sed virtute omnes facile superabat. Inerat viro facilitas ac morum elegantia singularis, sed virtus omnia temperabat. Aversum ac rusticum dicere non auderes, cum timidum ac omnia circumspicientem cerneres, ne aliqua ex parte animi candor, cui maxime studebat, labem aliquam acciperet; sed neque solutum ac liberum, cum amicis, aut proceribus se daret, quod eius consuetudine frui, aut aliquid suae gratiae illi impertiri vellent. Ingenio pollebat celerrimo, ut et carmina etiam ex tempore fundere nonnumquam auditus sit; sed effusos impetus spiritus severitate temperabat, atque ita coërcebat, ut neminem eo continentiorem diceres. Hunc igitur doctorem regii pueri nacti sunt, cuius magisterio quantum profecerint dicerem, nisi ipse sibi aeternum monumentum, hunc quem nostra nobis

fortuna regem dedit, statuisset. Neque enim tu mihi irasceris, si id dico, Princeps augustissime, cum sciam te non piguisse saepius fateri, ac palam praedicare, te quantus es, quantum sapias, totum Angelo Antonio debere. Sed nos omnes te magnum esse ut gradu, ita animo novimus; sapere vero quantum vix matura aetate princeps, atque a pueris in iuvenili corpore animum senilem gessisse, ut si sint reges, qui te dominationum amplitudine superant, nemo certe sit, qui tecum sapientia ac virtute comparetur. Verum ego tuam hic fortunam, an nostram mirer? felix tu, cui ad magna nato, tantus doctor contigerit, qui fortunae parem te fingere potuerit; sed fortunae huius magna sane pars nobis concedit, cum quicquid tu valeas ac sis, nostrum sit totum. Verum ne diutius hic de te agam, tu profecto vetas, cui gratissimum est de eius vita scribi, cuius tibi mors luctuosissima fuit, ac de quo nulla die homines conticescant velis.

Primus is semper gradus ad summas dignitates habitus est, ut facile omnes ille adsequi possit, cui tam prona illorum gratia sit, per quos eas consequi oporteat. Quare quid est sive in communi hac nostra vita, sive in publicis muneribus dignitatis ac honoris, quod frustra Antonius speraret? Verum illi cum omnia parata essent, animus tantum defuit. Itaque sponte se offerenti fortunae restitit; tum curriculum amplissimum, seu potius aream sibi quaesivit, qua cum omni honore careret, multorum honorum ac officiorum labores susciperet. Primum enim e suis muneribus hoc regium magisterium esse voluit, sed non solum; egregium alumnum Principem, sed non unicum. Tanta enim ac tam varia simul complexus est, ut qui de hoc sive honore sive officio nihil audiret, longissime eum ab aula abesse existimaret. Sed ne nimis longa oratione vos teneam, summa quaedam referam, ac quae iam antequam a me audiatis, tacitus

secum quisque repetit. Cum enim doctorem, atque academicum ageret, Sacerdotem se esse sapientissimus vir meminerat. Quamobrem eo totas vires intendebat, ut cum Regem Religionis olim futurum tutorem educaret, regnum ipsi quodammodo praepararet, quo non corruptum ad officia vi atque armis revocaret, sed bene compositum perficeret atque exornaret. Neque enim, si nullum in Ecclesia honorem Angelus tum obtinuit, ac privatis tantum studiis res sacras iuvit, existimandum leviter tantum illas attigisse atque auxisse.

Strepitu ac turba subiguntur regna; atque urbibus, qui inani hac et brevi dominatione delectantur, impetu ac tumultu imperant. Alia est Religionis ratio. Leni motu ac patientia hic omnia perficiuntur. Quare fermento, ac luci suorum labores ac studia divinus magister comparabat. Haec alte animo inscripta sapientissimus vir retinebat: quare eo operam suam totam contulit, ut quid maxime Religio laboraret, tacite consideraret, quae excussae partes, quibus succurrendum esset, quaeque esset aptior sustinendi ratio, rimaretur. Praelucebant viro sapientissimorum sententiae, ac ipsius Romani Pontificis iudicia, quibus illud omnino definitum, totam piorum studiorum curam iuventuti informandae esse admovendam: aut hoc esse reparandae Religionis ac morum instaurandorum remedium, aut sacra iam desperata esse, ac publicam tranquillitatem conclamatam: tum impense etiam futuros Sacerdotes instruendos, per quos et reliqui a pueris flectantur, et qui forte exciderint, quos nulla cultura mollitos illecebrae et licentia a Religione ac pietate abduxerint, ad frugem revocentur. Huc igitur suas vires vir sapientissimus intendit. Ea quidem multorum sententia est ac sollicitudo; sed quotus quisque est cui prospere labor cedat? neque enim si tenuis ea cultura est, tenuis etiam labor ac vulgaris cura. Non enim agitur de pastorum aut artificum natis, quos oblata cruce, ac infero-

rum poenis commemoratis absterreas. Verum illi flectendi, quos cum opes ac divitiae muniant, tum multa obiecta, quae olim consequantur. In hos nisi impetu quodam irrumpas, nisi aversos licentia animos allicias, nisi fortuna elatos aut spe aliqua erectos auctoritate, gratia, omni denique studio vincas, tibi non adiunges. Quare frustra omnino huic operi manum admovent, qui non possint multa eruditione, omni humanitate, prudentia, auctoritate, facilitate denique ac studio ipsis se commendare. Verum haec cui plenius atque abundantius contigerant? De eruditione iam aliqua delibavi. Accesserat modo ex regio magisterio auctoritas: reliqua vel natura vel pietas suppeditabat. Quid mirum si et ipse rem alacriter aggressus est, et tantos fructus labores pepererunt? Neapoli cum multa insignia, tum illud certe singulare, quod magna studiosorum adolescentium multitudine celebretur. Ita enim caput amplissimi huius regni constituta est, ut non prima, sed unica omnino urbs videatur. Eorum enim, quae in magnis urbibus esse solent, nihil reliquae per provincias constitutae civitates sibi vindicant: sed una in urbe principe celebrantur. In rebus autem, quae hominibus usui sunt, studia certe ac litterae primum locum obtinent. Haec ut Neapolim confluunt, concursantibus eo litteratissimis undique viris, ita illinc omnino petenda. Derivationes quasdam in provinciis esse nostri principes voluerunt; sed ut fontem hunc esse omnes sibi persuadent, ita nemo sibi studia recte hausisse videtur, nisi huic ora admoverit. Ergo immensam adolescentium multitudinem ex diversis provinciis a Pelignorum finibus ad ultimum Pachynum Neapolim convolare vides. Verum ea est sive loci, sive temporum conditio, ut facilius pestem, qua inficiantur, quam doctrinam, qua erudiantur, adolescentes trahant. Cum enim ad illecebras illa aetas prona sit, tum haec urbs maxime illecebrosa ad omnem libidinem excitandam ac fo-

vendam facta videtur. Quare scopulum iuventutis hanc merito dices. Reliquos, qui hinc ortum ducunt, sui quosque parentes caute custodiunt, eos qui hospites in ea versantur, quos nulla certa domus capit, nulla ratio cöercet, omnis libido facile occupat ac corrumpit: quam deinde, cum ad suos redeunt, ad communem perniciem exportant. Sapientissimis quidem legibus huic incommodo a nostris principibus provisum; verum his modus licentiae factus, licentia sublata non est. Quare alia addenda cura, qua animi retineantur. Hanc noster suscepit. Duo primum collegia commemoranda; eorum, qui medendi artem docentur, ac qui in musicis modis exercentur. His se sponte magistrum dedit, quos ad omnem pietatem componeret. Reliquos deinde, qui ut hospites in hac urbe sunt, curandos suscepit. Vidimus nos ipsi, neque teste quo confirmentur indigemus, domum dies noctesque studiosis adolescentibus obsessam; eum numero saepe stipatum; ac quos ubique obvios haberet omni cura ac sollicitudine complecti. Non enim ex his tristibus ac severis ille erat qui ab adolescentibus, tamquam a peste aliqua cavent, aut averso vultu, ne inficiantur, qualis triste illud ab inferis excitatum monstrum Iano, cum audierint contracto supercilio dimittunt. Facilem se illis dabat: quae peterent si praesto essent largiebatur, sin minus suppeterent, ab ipsis, qui dare possent, demisse petebat. Aliquid illi vel litterarum vel gratiae quaerebant, id ipse facile concedebat; sed quae ipse vellet, blande extorquebat: ut a vitiis abstinerent, bonos mores colerent, Religionem revererentur: neque id longa oratione, sed verbo; non hortatione, sed nutu; non reprehendendo sed monendo; ioco etiam nonnumquam ac salse dicto, ut revera imaginem quamdam sanctissimi viri Philippi Nerii, qualem olim Roma mirata est, intueri omnes videremur.

Verum cum haec studiosae iuventuti tribueret, reliqua

non omittebat. Sed quid hic prius commemorem, quid posterius? assiduam ne in poenitentium confessionibus audiendis operam, an Divini Verbi explicandi curam? studium, quo pias aliquot sodalitates colebat, an diligentiam, qua insignes maleficiis homines venator acerrimus et scrutabatur et capiebat? Verum ut haec omnia magna in illo fuerint, illa profecto omnibus mirabilis cura, qua ex infimo genere homines, cadente sole, congregatos ad omnia pietatis officia ad multam noctem exercebat. Quem non movebat videre tantum virum, quem mane regii pueri de rebus gravissimis disputantem, interdiu qui essent eruditissimi litterarum aliquid, et quae sunt ex remotissima antiquitate abstrusissima illustrantem audierant, hunc ipsum hominum a trivio ac columna colluviem stipare, eumque ad abiectissimum sermonem descendere, quo miseri illi atque egentissimi quae de officiis ac divinis rebus explicaret, et mente complecti, et animo inscribere et omnino amare possent? Nunc licet reliqua persequi: quamvis omnia commemorare, ac brevi oratione comprehendere, et iniuriosum illi, et vobis fortasse molestum esset; quod omnium testes esse possitis. Sed illud facere non possum quin commemorem, quod in homines sacris addictos conferret. Difficilis ut ubique haec disciplina est, tum Neapoli difficillima. Illic enim Sacerdotes et numero plures, et vita continentiores desiderantur, ubi et frequentior multitudo, et vitiorum irritamenta abundantiora. Verum Sacerdotes ipsi homines sunt, in eadem urbe nati, eodem caelo ac communibus moribus utuntur: ergo nisi severioribus institutis constringentur, sal esse non possunt, quo reliqui condiantur; sed communicata cum aliis licentia, auctoritate ac nomine vitia atque audaciam confirmant. Hinc varia hic inita consilia, quo qui hoc ex ordine sunt, ut vestibus ac corporis cultu, ita animo ac moribus a reliquis segregentur; ac collectos ex divino afflatu ignes et retineant caute, et ad

multitudinem componendam effundant. Verum in primis illa sodalitas commemoranda, quae sanctissimi viri Nicolai Pavone studio et instituta est, et magna diligentia exculta. Hanc prudentissimi rerum sacrarum rectores ludum quemdam esse voluerunt, ex quo conferti veluti milites ad omnem militiam exercitatissimi prodirent. Huius colendae cura Antonio commissa. Licet mihi quidem dicere annos duodeviginti hoc munus in illustrissima illa sodalitate, quam sine Societatis meae laude commemorare non possum, illum exercuisse: verum quanta id cum dignitate factum, quanta cum omnium voluptate ac fructu, ii testes esse possunt, quos saepe dicere audivi, se frequentissimos convenire, ne tanta voce, tanta sapientia carerent.

Sed iam locus me monet, ut de hac sua sapientia atque eruditione fusius dicam. Adhuc enim mihi expectare videmini, ut quoniam quibus rebus suum in hominibus ac sacris iuvandis studium probaverit, commemoravi, eo tandem veniam, quod viri eruditi spectant, cum de homine sermo est, qui doctrinae laude floruerit, ut quae suae sapientiae monumenta reliquerit exponam. Mihi quidem, si ab aliquo ex hisce otiosis litteratis id petitur, nihil pene commemorandum superest, praeter ea, quae iam de papyrorum interpretatione dixi; aut si quid est aliud, quo ille in academiis uti solebat, id ut in minimis ille ponebat, ita indignum iudico, de quo mentio fiat: si vero sint, qui in ea sunt sententia, non oportere quaeri quantum quisque scripserit, sed quantum scriptis communem vitam iuverit, tunc nova quaedam accessio orationi meae fiet. Tria enim scriptorum genera mihi proponere soleo; eorum qui levitate scribunt, quibus quod nova invenire nequeunt, quae scripta sunt scrutari mos est, atque alia forma, aut alio nomine proferre. Alii sunt, qui nova quidem excogitant ac reperiunt; sed quibus nonnisi honor aliquis, aut res etiam comparetur, quoniam ea sunt, quibus homines carere possunt, aut ad

perniciem etiam utantur. Alii vero sunt sapientissimi, qui nonnisi communi utilitate excitati ad scribendum se dedunt: quare cum animo communem vitam complexi sint, si quid sit, quod laboret, in quo vox sapiens aliquid opis afferre possit, hoc arripiunt avide, in hoc versantur, hoc quantum opus est et evolvunt et illustrant. Quare primum illud genus leve, alterum ambitiosum, tertium sapiens dicere soleo. Ad hoc noster pertinet. Quis enim illo aut res novas acutius invenire, aut plenius explicare potuisset, qui ingenio tam acri erat, ut tanta facilitate in res vel remotissimae antiquitatis obscurrissimas irrumperet ac versaretur? Si igitur huc Antonius incubuisset, ut nomen suum scriptis propagaret, quanta nunc ab eo edita volumina non nominaremus? Verum cum illa ipsa sua sapientia, tum doctrina etiam vastissima illi obstitit. Mediocrium ego semper atque angustorum animorum esse existimavi in litteris audere; student enim aliquid edere, quod aut quale munus id sit non intelligunt, aut quanta iam ab aliis edita et illustrata sint, ignorant. Alia est ratio sapientissimorum. Illis ut publica semper utilitas proposita, ita illud sanctum, ne actum agant. Qui vero leves aut stulti non sunt, id denique ingenii specimen esse existimant, si quis novum opus, quale res ac tempora requirunt, a quo nova utilitas exoriatur, proferat. Hunc ut rem attigisse omnes fatentur, ita et dignum, qui omne punctum ferat, existimant. Duo hominum genera Religioni, ac publicae proinde quieti adversatos fuisse superioribus annis novimus, Medicos, et Iurisconsultos, quod illi Christi Domini institutis corrumpi vitam, hi regendorum hominum artem everti dicebant. Illi natura, hi prudentia pugnabant; illi cum ostenderent tentamenta, quae in rebus fierent, iis, quae christiana disciplina praescriberet, adversari, hanc vulgare commentum esse arguebant; hi vero bellum acerrimum Sacerdotio indictum voluerunt, quod cum omne sibi ius ac potestatem arrogarent,

publica iura, ac hominum felicitatem pessumdarent. Reliqua vos nostis. Hos igitur adversarios sibi Antonius designavit, quibuscum congrederetur. In hos stylo irrupit, quem, ut gravius feriret, acutum potius, quam latum esse voluit. Neque enim, quemadmodum plerique fecerunt, repetitis a gravioribus quaestionibus principiis, magna verborum copia ac pompa ea fuse explicavit, per quaa falsa illa, quae obiiciebantur, probarentur; sed ad animos orationem admovit; comminus congressus est. Omnia, quaa contra sanctissima Ecclesiae instituta afferebantur, accuratissime collegit: carptim explicanda proposuit: leni sermone, sed ipso acutissimo nitentes contra animos uggreditur: gradum confert: rem cum re, verba cum verbis componit; ac quam sapienter singula quaeque Religio ac Christiana pietas instituerit, ostendit. Ergo audacissimae illae voces, quibus iamdiu obstrepebamur, conticescunt, aut modestius certe agunt; quod contra semper nostri sententiaa sunt ut gravissimae, ita suo studio vulgares factae, ac cuique familiares. Obiiciant nunc, qui velint, ingentia aliorum volumina: pro me non Neapolitani modo atque Itali, sed ipsi exteri respondent, quibus publica tranquillitas, ac Religio cara, quos scimus, has nomine opellas, re fulmina et studiose conquisisse, et saepius edidisse, et ut sua lingua sui legerent, affecisse. Age nunc homini tantis laboribus occupato, tantis curis distracto quomodo tempus suppetebat, quo aut haec mente conciperet, aut ea legendo colligeret, quibus illustrari ac ornari possent? Nulla scilicet vel diei, vel noctis hora illi vacabat; nullam sui partem aliquod vel otium, vel alienum negotium sibi vindicabat; angusta ipsa in domo habitabat, una matre gravissima foemina socia, ac sorore amantissima contentus: aliorum ipse domus fere nunquam adibat. Non familiares certi erant, ac descripti amici, quorum sermonibus ac consuetudine dies plerumque integri eripiuntur: aliis

eum quaeritantibus, nisi egeni essent, aut adolescentes sua vel ope vel sapientia fovendi, haud facile se praebebat. Cibi somnique parcissimus breve tempus reficiendis viribus dabat; deambulationi, ludo, otio nullum. Itaque quae subsicivae aliis horae sunt, longum ipsi tempus erant. Hoc libri ipsi familiarissimi sibi vindicabant. Quid mirum si nihil unquam aut dicendo, aut scribendo ediderit, quod reliqui non laudarent?

Verum mihi aliorum testimonio opus non est; ipsius Summi Pontificis iudicium extat luculentissimum, cui scio doctissimos qui sunt e Cardinalium collegio subscripsisse: tanto enim in eum studio Gregorius, quo nunc Rectore Ecclesia utitur, exarsisse accepimus, ut eum Romam accierit, quo et coram videre, et frui aliquando posset. Adeuntem autem non recepit modo benignissime, sed omnino complexus est. Et hic quidem eum retinere voluisset, ut tanto viro Roma, ac Romana Curia periculosissimis temporibus uteretur; sed obstitit in primis civitatis huius desiderium, quae ut aegre tulerat eum abesse, ita ut quamprimum rediret sollicitabat; tum regis, regiaeque familiae ad ipsum Pontificem vota, ne suo lumine tantis undique ingruentibus tenebris haec loca privaret: sed in primis viri modestia singularis, cui tam grata demissio, ut vitam nullam sibi ducere videretur, si stationem desereret. Fingebat sibi studiosos adolescentes eius desiderio confici: tum ante oculos carissimi in nocturno illo ludo e plebecula discipuli versabantur, a quibus ille ne supremis quidem auctus honoribus divelleretur. Ergo eum Gregorius aliquo honore ornatum, quem non virtutis praemium, sed suae benevolentiae testem esse voluit, dimisit, sed viri memoriam retinuit. Qua cum dies noctesque sollicitaretur, occasionem quaerere non destitit, ut iterum videret, ac coram alloqui posset. Pestifer interea liber ab impio Gallo scriptus Romam allatus est. Huic ut

pro sua facultate responderet, Antonium nostrum Gregorius datis Roma litteris excitavit. Opus iam ab eo perfectum noluit typis vulgari, antequam Romae audiretur. Ut primum percrebuit eum ad urbem accedere, incredibile dictu est, qui fuerit motus, qui concursus, quae hominum vel frequentia, vel dignitas, quo Scottum sapientissima illa sua facilitate in celticum Typhoeum fulmina eiaculantem audirent. Quod vero cum omnium, tum in primis Pontificis iudicium fuerit, re statim patefactum est, quod hic Roma exire eum passus non est, nisi Thessalonicensi Tiara ornatum.

O memoria ipsi fortasse gloriosa, nobis certe funestissima! Dicam confidenter, auditores, hunc quem primum ad summos Ecclesiae honores aditum Antonio esse homines divinabant, carissimae eius vitae terminum fuisse. Onus illud novum impositum quod sustineret, non honor, quo frueretur, sapientissimo viro visus est: et qui ne nutum quidem, ac oculorum coniectum otiosum in se esse patiebatur, ad ea maiora officia se vocatum existimavit, quo maius nomen, ac gravior dignitas accessisset. Quantum munus illud esset, optime vir intelligentissimus norat; quare potestatem homini a Deo traditam, quo in hominum bonum utatur, hebescere ac deperire aegre admodum ferebat; quod nomine Archiepiscopale illud munus definiretur, oves aut deessent, aut abessent certe quas duceret, Thessalonicam proficisci voluisset. Id prohibebatur. Ergo qua posset ratione ex illo genere homines iuvare cogitavit. Iampridem ipsi a summo Pontifice Ecclesiarum, quae ex veteri illa frequentia adhuc reliquae sunt in nostro hoc regno, cura demandata fuerat, easque Pontificii Legati nomine ipse curabat. Sollicitudo haec gravis illi fuerat. Cum enim diversae dissitis in regionibus essent, iis providere nisi magna assiduitate ac labore non poterat. Sed sua cura nulli desiderata est. Atque illud in primis commemorandum, quod Schismaticis curatoribus Ec-

clesiam, quae Baroli erat, eripuit, eamque Catholicis qui vi eiecti a perfidis illis praedonibus erant, restituendam curavit: tum illud etiam insigne, quod eos, qui Neapoli sacra suis ministrant, ritus mutare cöegerit, quod Graecos multorum dissidiorum causam esse constabat, ac iis, quibus Latini utuntur, conformari. His vero nuper addiderat, ut statis diebus ad Graecos ad sacra convenientes verba faceret, quibus in sermonibus cum illa praesertim explicaret, in quibus ea gens a reliquis Catholicis dissidet, aut flectebat doctrina, aut audaces esse non sinebat. Verum et haec leviora: confirmandi in fide per Sacramentum fideles; quod hoc munus Episcoporum tantum esse sancta Patrum instituta voluerunt, ut pars non exigua episcopalium laborum est, ita Neapoli onus gravissimum. Incredibilis enim Episcopis, qui hic sunt, iniecta sollicitudo, ut nulla sive diurna sive nocturna hora non evocentur, quo aegris de vita periclitantibus unctione illa sanctissima opitulentur. Licet tamen aliis recusare; sed Antonium sua pietas prohibebat. Ergo ad reliquos labores haec etiam cura adiecta est. Vix quatuor aut quinque horas liberas ille habebat, quo corpora laboribus fessa curaret. Has haec nova cura aut omnino eripiebat, aut intercidebat. Quid mirum igitur, si vita iam aetate ingravescente debilitata, laboribus innumeris fracta atisceret, ac onere oppressa occumberet? Quaeritis, quod genus, quae causa mortis Angeli Antonii fuerit? Tres pauperculi pestifero morbo laborantes hora importunissima perdifficili urbis situ illum accierunt: advolavit vir piissimus; adfuit; optatis sacris fovit, munivit: morbi tamen partem secum abstulit: illo brevi confectus est. Dubitatis, quin exitus totius vitae cursum aequarit; ac qui omnia sua tempora hominibus iuvandis contulerat, eorum studio ac pietate e tempore excesserit?

Vale igitur, vale Angele Antoni: te quidem tantorum

laborum, ac virtutum praemia, aeterna illa otia, ac cumulatissima omni voluptate vita manent, nos aerumnae ac miseriae premunt. Te praesentem videre, tuo vultu frui, tua sapientia foveri, recreari, magnum nobis adiumentum erat, quo et vitae acerbitates oblivisceremur, et ad labores atque officia excitaremur. Nunc vero quid superest, quo reficiamur? Quando enim aliquem tibi parem Neapolis inveniet? Tibi quidem similes multi et videri et esse volunt: sed multi non sunt, quibus ingenium, quale tibi fuit, natura largita sit: admodum pauci, quibus pares animi virtutes ac pietas: nemo, in quo haec ita consociata sint, ut ex ingenio illustrior virtus, ex virtute utilius ingenium existat. Tuis tu si non amplam rem, nomen certe amplissimum reliquisti, quo frui possint; nobis vero non nisi luctum ac lacrymas sempiternas. Ius igitur nostrum, ut tua ope sublevemur, ne spernas: vita certe functis non adeo interclusi ad terram hanc nostram aditus, ut aliquid e sua vi ad nos transmittere non queant. Memineris igitur, nos non e tuis modo, sed tuos omnino fuisse. Tibi divinorum favorum copia non deerit, si tu divinis hic rebus numquam defuisti. Primum igitur fac ne desperemus omnino; tum carissimae tibi iuventuti, qua licet ratione adsis, quo tuo quodam numine animos moveas ac flectas, dum nos obstrepimus auribus, voce, ac studio ingenia accendimus.

Vobis vero adolescentes quid postrema hac mea oratione commendem, nisi ut nunquam ab hoc simulacro, quod vobis posui ob oculos, averti patiamini? Levate quaeso hoc me labore, ut diutius vos per hortamenta, ac monitiones ad studia ac pietatem accendam. Equidem deficere mihi vires, ac vocem senseram, postquam ipsos viginti duos annos hos labores sustinueram. Nunc omnino quiescere statui. Si quid negligentiae, si quid socordiae, si quid levitatis etiam, ac lasciviae in vobis deprehendero a verbis, a monitionibus, a terriculis

illis, quibus uti consuevi, abstinebo. Digitum intendam; ac ut in hanc imaginem quamvis verbis tantum expressam oculos intendatis, hortabor. Ipse pro oratione ac hortationis loco erit. Ipse divino illo suo conspectu, quod frustra ab oratione expectarem, efficiet. Cum sapientissimum virum videtis omni eruditionis genere refertissimum, ac eumdem mira compositione spectabilem, quem nulla superbia extollat, nulla cupiditas pervertat, sed qui omni inani cura solutus totum se, quantus est, ac valet, aliorum commodo valere studet; tum quid ego cupiam, quid respublica expectat, quid haec nostra ratio praescribit, intelligetis: et sic fiet ut non minus memoria, quam olim conspectu ille, qui iuventutis instituendae maxime studiosus fuit, eas vobis utilitates pariat, quae nullae omnino, nisi per vos afferantur, mox nobis deficientibus existent.



ANGELI ANTONII SCOTTI

ORTUS ET INSTITVTIO



ODE

Udam iam pede libero
  Spernam praepes humum, et vulgus inutile;
Ales summaque sidera
  Tangam non humilis vi sapientiae;
Quamvis ditior haud domus
  Me nascentem atavûm splendidioribus
Ornarit titulis, rei
  Haeredem variae e sanguine principum:
Dum blanda foveat gena
  Spectans sidereo e vertice, viribus
Qui res usque recentibus
  Labentes reparat, perpetua vigens
Vita conditor omnium,
  Occultaque animos sollicitet face.
Testi svatibus Angelus
  Divinis: Danaum callidus abdita
Scrutari, latitantium
  Rerum quicquid habent dissita saecula,
Seu quae siderea e domo
  Arcano superum dividit artifex

Terris eloqoio, gravi
  Audax ingenio condere colligit.
Ergo munere diviti
  Phoebi, tergemina tempora laurea
Ciogunt Pierides, suis
  Admisso procerum consilio choris.
Munus Parthenope tuum
  Hoc est: tu teoui hospitem ab insula
Altrix excipis, artibus
  Formatura bonis. Vim tibi Numina
Meotes fingere munere
  Musarum, atque animos acribus urere
Dooaruot studiis: tuo
  Ut me cumque foves lumine, praepeti
Penna tollor ad ardoos
  Colles, atque homini non data littora
Teotabo memor alitis,
  Quem fonctum variis astra laboribus
Auctum luce nova tenent.
  Quod si fax eadem duxerit abdita
Tentantes animos, patrum
  Muous grande itero oon piger aemulus.
At tu praemia gloriae,
  Autoni, capies: me videt invidus
Quisquis ponere Tollii
  Dicendi studeat iura nepotibus,
Praeluxisse suis satis
  Dicet, dulce sequi quem foret, Angelum.

QVAE PIE AC FORTITER IN VITA GESSIT

ODE

Auro nitenti non opus infula
Fulgere, longa aut sordibus obsitum
  Squalere palla, nec reducta
    Aede tegi, socioque certo
Ritu moveri, si popularium
Fraenare mores, si placet impetum
  Insanientum, et regna Ditis
    Sternere non facili ruina.
Utcumque puro pectore colligit,
Quos mittit ignes aethere ab arduo;
  Mortale qui fingit fovendo
    Ingenium; docilisque caeli
Docentis audet quis data spernere,
Hic digna longo praelia carmine,
  Quo labe mortales avita
    Expediat, Superisque iungat,
Gessisse gaudet: scilicet arduas
Virtutis arces non sine gaudio
  Tenere vidit, et favillis
    Sidereis, opibusque Divûm

Nitere dudum Parthenope, gravi
Coeno sepultos quos modo luxerat
Mater, profundis et tenebris
Colla erebo dare destinatos,
Agente Scotto. Qualis ab edito
Delapsa saxo per sata, per specus,
Stringente ripa flexuosa,
Unda fluit, laticesque late
Effundit; arbor quo tumet ubere
Vicina foetu, vis redit herbulis
Siticulosis, atque adunco
Cedit humus madefacta aratro:
Talem per urbem currere devium
Heroa vidit; non tuba concitat
Munstro paventes, sed benigna
Cuncta fovet reficitque lingua.
Videtis? an me ludit imagine
Camoena inani? quae macie horruit
Coquente pectus igne pubes,
Flore novo renovata ridet.
Scottus benigna aspergine recreat:
Ceu fonte puro proximo ab hortulo
Collectus, hospitaque sylva
Grex Anatum sua rostra tingit,
Hauritque fluctus guttore, commodos
Mulcere pectus, sic iuvenum emicans,
Utcumque prodit ille circum,
Turba coit, sociumque vulgus
Urget volentem, non sapientiae
Lex consulentis, nec modus auxili
Descriptus; et summos et imos
Una regit cohibetque dextra.

Obe catena, qui modo brachia
Vinctus fremebas e stygia domo,
Fatale monstrum, nunc relictum
Tempus iter remeare, et acres
Novare pugnas; Persephone favet
Ministra, contra non tibi spicula
Nitendum, adempto fraudulentis
Consiliis via facta Scotto.



IN OBITV



ELEGIA

Ite procul calami ; frangantur plectra ; libellos
Tollite ; tuque chelis cura molesta vale.
Quid mihi cum Latio, quid Pindi culmina conor
Scandere, quid vates Pieridesque iuvant ?
Tu quoque Sthoa vale ; vos alti tecta Lycaei,
Arsque Stagiritae, socraticique modi.
Fallitur infelix, et veri oracula laedit,
Haec qui mortales posse beare putat.
En gelidus cinis est, et inanis pulvis in urna
Insigni Scottus nobilis arte iacet :
Omnis abest species ; iuxta stat fracta tyara ;
Et sparsi libri, gemmaque rapta manu.
Vix superest nomen, quod mox abeuntia condant
Saecula ; vix aetas sera fuisse sciet.
Haec ego lamentans : congestos dextra libellos
Sparserat ; in vultu frigidus horror erat :
Cum subito increpuere fores, et cardine verso
Adstitit haud visis ante figura notis.
Late luce micant oculi, stat fronte venustas ;
Cinxerat hanc variis texta corona rosis :
Puniceos pectusque humerosque tegebat amictus,
Collaque distinctus lembus obibat acu.

Hic me complexus : vanos depone timores,
Haud externus, ait, qui tibi vultus adest.
Ille ego sum, quem tu lacrymis, et questibus urges
Quemque redire velint, qui periisse dolent.
Quid tu Pierides, quid Phoebi munera damnas,
Et velles sophiae non tetigisse domum ?
Quod tibi non parcunt phoebea in sede recepto
Fata ; nec aeternum vivere posse datur ?
Tam tibi vita placens, quam numquam ponere velles ?
Tantam vim vestris rebus inesse putas ?
Adspice qua flamma niteo, quo splendeo in auro ;
Quae vestit vultum gratia, quaeque caput.
At maiora adsunt, quae nunc mortalia fallunt
Lumina, siderea condita in arce latent ;
Quae me divitiae, quae mulcent gaudia, nec fas
Dicere, nec cuiquam mente tenere licet.
Accipe nunc : tanto quae nostros auxit honore
Causa animos ? virtus hoc mea munus habet.
Quod sprevi, quae foeta animis ingentibus audax
Mens peperit, superis impia bella movens ;
Quod forti eloquio quae funderet impius urgens,
Italiam totam, Parthenopemque dedi ;
Quod leni studio iuvenum praecordia finxi,
Meque dedi hospitibus, pauperibusque ducem,
Hi flores haec serta ornant, celsaque locato
In sede, aethereis fas mihi adesse choris :
Et paras haurire undas, et ducere succos,
Sideribus per quos aemula vita viget.
At mihi quae vires, quo tanta movere tyranno
Tartareo possem praelia, tanta pati ?
Parvus eram, tenuem dederat fortuna parentem,
Commune ingenium, parvula in urbe locum.

Una mihi virtus, et quas tu despicis artes :
    Lata per has nostro semita facta pedi.
Illae aluere animum, per doctos fama labores
    Venit ; per domos gloria stravit iter.
Tum mihi vel magni proceres cessere paventes,
    Et timuit vultus impia turba meos.
Finge tibi indoctum, cui magni carta Platonis
    Ignota, aut numquam pagina lecta Thomae :
Quid facerem ? qui me vellent audire docentem ?
    Aut ad me durus verteret ora sophus ?
Ergo me stultum, an sapientem dicis in illa
    Cura, aut cum fato curam abiisse meo ?
Ah ! redeant anni, cum primas doctus ad artes
    Pectora formabat, ingeniumque chorus :
Hoc doleo, si quid fas corda dolere beata,
    Ingenio poteram condere plura meo.
Forsitan ah ! plures numerarem ex hoste triunphos,
    Maior et ornaret lux speciesque caput.
At tu ne fato cedas, et mitte Camoenas
    Spernere, quod doctos mors rapit atra viros.
Omnes mors aequat, sed sors non omnibus una ;
    Iudicium est : varios illa habet aula gradus :
Si cui mens, posset qua plures ferre labores,
    Verticis aetherei huic summa tenere datur.
Dixit : et in tenues abiens evanuit auras,
    Altera tunc mihi mens consiliumque fuit :
Et grati libri, et doctorum cura laborum,
    Quos mors nulla rapit, gloria magna manet.





